

Salutatio ad Marcum Tullium Ciceronem celebrandum

Professores optimi, hospites clarissimi, discipuli studiosi, salvete omnes!

Cum hic hodie ad Marcum Tullium Ciceronem celebrandum simus, opus est nobis quaerere cur tanto opere hoc homine adhuc delectemur.

Adducti ipsius summi viri multis praeceptis multisque libris, intellegimus studia humanitatis cotidie suppetere nobis posse in tanta varietate rerum adversarum; si animos nostros doctrina excolemus, ferre tantam contentionem poterimus.

Marci Tulli vita monstravit nihil esse magno opere expetendum nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsili parvi esse ducenda. Semper, usque ad finem, pro salute patriae in tot ac tantas dimicationes atque in profligatorum hominum cotidianos impetus se obiecit; dicacitate sua multos sibi inimicos paravit.

Atqui frequenter ipse ab amicis postulabat, ut non oratorem se, verum philosophum appellarent.

Sine doctrina naturae ipsius habitu prope divino nos - fateamur - pauperiores essemus: nam - ut ipse praedicat- *haec studia adulescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

Ex his studiis haec quoque crescit ratio perscrutandi et facultas dicendi.

Ut illo imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas scriptores et Graeci et Latini reliquerunt, sic nobis illius verba lucem, solacium et stimulum ferunt.

Quantum suavitatis eloquentia rebus honestis conciliaret atque, quod iustum esset, si recte oratione exprimeretur, invictum esset, eius exemplum Romanis ostendit; id quod rectum est nobis quoque praefert et in his temporibus ad virtutem consequendam nos ducit.

Inter omnes qui sapientiae cultores se iudicant, horum nemo est, qui non Ciceronis eloquentiam, facundiam virtutemque laudibus efferat.

Doctus vir et patriae amans nobis princeps et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem exstat.

Dignum est igitur praecepta eius, libros et vitam libenter exquirere, colere, tradere.